



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

V. De gentilium superstitionibus abolendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

dantur, a regni finibus relegantur, aut in regno, ni ab illa mente destiterint ocus, moresque in melius commutarent, male pereunt. Qui ius legesque diuinas & humanas refugiunt, nisi quidem respuerint, ac cumulate compensarint, extorres agi iubemus. Fures denique atque alii omnes populo summam per iniuriam infesti, nisi etiam ab alienis manus abstinerint, breui cladem expectant.

V.

Regii manus-
cripti
capitulum
3.

Adorationem barbaram planissime vetamus. Barbara est autem adoratio, siue quis idola, puta Gentium diuos, solem, lunam, ignem, profluentem, fontes, saxa, cuiuscumque generis arbores lignave coluerit, siue sagarum superstitiones obseruarit: siue magnam alicui cladem, ductis fortibus ardentibusve tædis attulerit; siue denique falsis & mendacibus visis mortalium mentes concitarit.

VI.

Homicidæ, peierantes, ordinum atque coniugalis fœderis violatores, ni ocus ad se redierint, ac compensarint, vna cum hisce flagitiosis sceleribus patria exterminantur.

VII.

Quamquam nec vlllo quidem tempore danda est iniustitiæ venia, diebus tamen festis, atque a locis Deo consecratis, maxime est prohibenda procul iniquitas. Sed quo quisque est opibus affluentior, ampliorique dignitatis gradu locatus, eo debet cumulatius Deo & hominibus data dissoluere, ac compensare damna. Deo autem quomodo erit compensandum, ex scriptis præcepta petamus, hominibus vti fiat satis, ipsa quidem iura tradunt humana.

VIII.

Regii manus-
cripti
capitulum
4.

Si quis eorum qui aræ deseruierint alicui mortem obtulerit, omni cum diuini tum humani iuris patrocinio excludatur: nisi quidem cum exilio cumulate id sceleris compensarint, atque cæsi etiam cognatis satisfecerint, aut saltem vna cum hominibus qui iurent idoneis omnem criminis suspicionem diluerit. Hanc vero quæ Deo & hominibus debetur compensationem intra ter denos, idque cum fortunarum suarum omnium discrimine, dies aggreditor.

IX.